

.li. OMELIA . IN NATIUITATE SANCTE MARIAE .

INquirendum est fratres karissimi et explanandum per ordinem . de origine generis mariae . et natuitatis eius solemnitate .

Quidam uir nobis fuit in tribu iuda ioachim nomine ex genere dauid honorabilis ualde . in .xii. tribus israel .

Diues quippe erat et ideo offerebat frequenter munera duplia dicens in semetipso . Erit quod superhabundat mihi dandum omni plebi et propitius ero . Appropin quauit autem magnus dies festus domini secundum legem ecos forebant filii israhel munera sua . Ioachim autem prior obtulit sed restituit et ruben sacerdos dicens .

Non licet tibi offerre munera in templo dei quoniam non suscitasti semen israel . Et contristatus ualde . abiit intra /120r/ semetipsum dicens . Meditabor ergo ut sciam si ego solus non suscitaui semen israel . et remoratus est patriarchae abra -he quoniam in nouissimo tempore dedit ei dominus filium isaac nomine ex sarra sterili . dehinc non intrant ioachim ad uxorem suam . sed contulit se in desertum . et fixit filii tabernaculum in montem et fuit ibi .xl. diebus et .xl. noctibus dicens intra se . Non discedam hinc neque ad bendum donec uisitet me domine deus meus . Uxor autem eius anna nomine . lamentabatur dicens . Lugens lugebo induitatem meam . Humiliauit enim me nimis dominus meus .

Appropinquantem autem die festo pasche . ancilla sua dixit ei Quare humilias animam tuam . noli lugere sed indue uestimenta tua regalia ; et ad diem festum propera ornata et leta . Anna uero dixit ei . Recede recede . quare conturbas me? Et dixit ei ancilla . Quid amplius possum tibi dicere? Deus enim conclusit uuluam tuam .

ut non dares semen israel . Pro hac autem uoce depositit  
uestimenta lugubria . et lauit caput suum . et induit se  
regalia . et descedit in ortum suum circa horam nonam .  
et sedit sub arbore laurea . et orauit ibi dicens . Deus pa-  
trum meorum . aufer opprobrium meum . et exaudi precem  
meam sicut exaudisti saram . et dedisti ei filium . Et dum hęc  
precaretur . uidit nidum passeris supra se in arbore . et  
adiecit lamentationem dicens . Domine . cui assimilabor  
non sum enim similis auibus cęli . quia pullos habent .  
nec bestiis terrae . quia generant nec aquis . quia pro-  
ducunt ex se pisces . neque huic terrae quia producit  
ex se fructus secundum tempus . et de donis tuis benedicunt  
/120v/ te omnia . [.iii.] Et cum haec miserabiliter dixisset . ecce angelus  
domini adstitit iuxta illam dicens . Anna ; Exaudiuit dominus  
deus orationem tuam . Concipies enim et paries . et audietur  
nomen tuum in uniuersa terra . Et dixit anna . Ubi dominus  
deus meus si genuero siue masculum siue feminam . offeram illud  
munus domino meo . et seruiet domino deo omnibus diebus uitę suę .  
Et ecce iterum angelus domini descendit ad ioachim dicens .  
Exaudiuit dominus preces tuas . descende hinc . Ecce anna ux-  
or tua concipiet et pariet tibi . Descendit ergo ioachim  
gaudens . et arcessiuit pastores suos dicens eis . Cito ad  
ferte mihi .xii. oues immaculatas . et .xii. uitulos sagi-  
natos . et erunt munus sacerdotibus habitantibus in tem-  
plo dei . Et iterum uocauit principes pastorum dicens eis .  
Adducite mihi uitulum primituum immaculatum . et erit in  
oblationem deo altissimo . Et ecce adduxerunt pastores per  
mixtos greges ad iacim dominum suum . et ipse exultans in domino  
ueniebat cum gregibus suis . Et annuntiatum est annae .  
quo ioachim ueniebat cum gregibus suis . processit de domo .  
et stetit ante ianuas . et uidit uirum suum uenientem .

Et ipsa repleta gaudio cito uenit ad eum . et complectens  
eum dixit . Nunc scio domine quia benedixit me deus meus .  
et abstulit a me . inproperium hominum . Et dixit ioachim .  
Gratias altissimo . et requieuit die primo in domu sua .  
Postero autem die sumens munera . processit ad templum domini .  
et obtulit ibi . et respxit ad sacerdotem . et sacerdos ascen  
dit ad altare domini . Et cum non inuenisset in eum delictum nun  
tiauit ei . Et dixit ioachim . Nunc scio uere quia indul  
sit mihi dominus omnia peccata mea . et descendit de templo  
/121r/ domini iustificatus . et abiens in domum . cognouitque uxorem suam .  
Completo autem mense septimo conceptionis . peperit anna .  
et interrogauit obstetricem dicens . Quid peperi? et dixit  
ei . feminam genuisti . Et dixit anna . Gratias ago deo altissi  
mo . quia abstulit a me ignominiam et opprobrium ho  
minum . Cum autem consummassent .vii. dies a natuui  
tate eius . inuitauit ioachim omnes sacerdotes et multitu  
dinem puellarum . et dixit coram eis . Tu domine qui neminem  
despicis sed audis gemitum humilium et depressorum .  
da huic puelle nomen in isto die . Et cum hoc dixisset .  
accesserunt sacerdotes ad epulationem in domum eius .  
Et edentibus illis . audita est subito uox desuper dicens .  
Maria erit nomen eius . Et honorificatum est nomen  
huius puerę ab altissimo deo . et ammirati sunt uni  
uersi . et dixerunt fiat fiat . Et obtulit eam pater  
sacerdotibus . et benedixerunt illam dicentes . Deus abraham ;  
Deus isaac ; Deus iacob ; benedic istam pueram . et da illi no  
men in aeternum . in omnes generationes . et respondit  
omnis populus amen . Et iterum completo  
primo anno natuitatis eius . inuitauit ioachim omnes  
sacerdotes et principes sacerdotum et scribas et senio  
res populi et uniuersum coetum filiorum israel . ad célébran

dum diem natuitatis eius . et obtulit eam sacerdotibus  
et principibus sacerdotum . et benedixerunt eam di-  
centes . Deus excelse . respice super puellam istam . et da-  
ei benedictionem tuam . ut sit sancta et immaculata in con-  
spectu tuo hic et in futuro seculo . et responderunt di-  
centes amen . Anna autem ministrabat gloriose sacer-  
/121v/-dotibus . et omni populo israel . Maria autem crescebat coti-  
die et conualescebat domino uolente . Et dixit ioachim ad  
annam . Deducamus puellam . illam in templum domini . et red-  
damus promissum nostrum quod promisimus deo ; Ne forte  
indignetur ~~deus~~ nobis deus . et non sit acceptum munus  
nostrum . Et dixit anna . Sustineamus adhuc annum ut sit  
trina . ne forte inquirat patrem aut matrem . et sic con-  
stituamus eam postea in templum . Et dixit ioachim . Sic  
fiat . et completo tertio anno . detulerunt eam in templum  
domini . et suscepserunt sacerdotes eam de manibus eorum .  
et osculabantur eam dicentes . Benedixit te domine deus  
omnipotens . et magnificauit nomen tuum in uniuersis nati-  
onibus . per te enim notum faciet saluatorem mundi uniuer-  
se plebi . Et statim discesserunt parentes eius ab ea .  
mirantes et gratias agentes . et dominum benedicentes . quia  
post se regredi nolebat . sed mitis sedebat in templum  
domini sicut columba . accipiens frequenter escam de  
manu angeli . sicut scriptum est . Panem angelorum man-  
ducauit Homo . Et diligebant eam omnes filii israhel sicut  
propriam filiam . pro constantia et mansuetudine et  
pulchritudine eius dicentes . Quę est ista que proces-  
sit sicut sol . et formosa tamquam hierusalem? uiderunt eam  
filię sion et beatam dixerunt . et reginę laudauerunt  
eam . Conuenire ergo et nos hodie debemus fratres karissimi .  
ad sollemnitatem hodiernę natuitatis beatę marię

perpetuę uirginis et genitricis dei . de qua processit dominus  
dominorum . et rex angelorum . sicut de illa scriptum est .  
Natiuitas tua dei genitrix uirgo . gaudium annuntiauit  
/122r/ uniuerso mundo . Ex te enim ortus est sol iustitię christus deus noster .  
qui soluens a nobis maledictionem euae . per te dedit benedic  
tionem uitę . et confusa morte donauit nobis uitam per  
petuam . Deuotissime ergo célébrare debemus fratres karissimi .  
natiuitatem felicissimę marię . et congaudere omnes in domino  
diem festum célébrantes sub honore natiuitatis eius ; per quam  
salus mundi credentibus apparuit . ut ipsa interceden  
te pro nobis semper ad dominum iesum christum . mereamur et nos  
et omnes populi christiani possidere gaudia sempiterna .  
Prestante eodem domino nostro iesu christo . qui cum patre et spiritu  
sancto uiuit et regnat per infinita secula seculorum . AMEN .